



**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano eiusdem Societ. olim Theologiæ
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Disputaciones
Scholasticæ, Et Morales, De Sacramentis in ...**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1652

3. Soluuntur argumenta contra doctrinam præcedente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82340)

minister nec debet, nec potest intendere, consequens est, vt nec debeat, nec possit intendere illam actionem, prout est cæremonia religiosa & sacra.

35. *Facilius explicatur si dicamus ministerium esse actionem externam, & verba, neque etiam solum modum externum loquendi, & agendi serid in externa specie, vt dictum est, sed aliquid aliud; scilicet, loqui & operari, non nomine proprio, sed Christi, & vt ministerium Christi. Quid autem sit ex parte obiecti voliti agere, & loqui nomine Christi, declarari potest ex humanis: quando enim ego volo emere librum, non meo nomine, sed Petri, cuius procurator sum, volo non solum actionem externam emptionis, sed volo etiam operari, vt procurator Petri, & nomine ipsius. Quid autem velim ex parte obiecti volendo operari nomine Petri, intelligi potest ex iis, quæ latius diximus tomo superiori, disp. 3. de Incarnat. sect. 5. vbi latè explicuimus obiectum earum voluntatum, iuxta quam doctrinam dicendum est, me operari, & emere nomine Petri, esse velle per velleitatem, seu voluntatem inefficacem secundum modum tendendi, quod ex actione mea non otiretur ius mihi, sed Petro, sicut si esset actio Petri, quæ velleitas mea, supposita altera simili voluntate in Petro, qua per velleitatem voluit ex meis actionibus manere obligatus, & acquirere iura, sicut ex suis, quæ voluntate constituit me procuratorem suam: hæc, inquam, duplici velleitate posita, vtraque, quoad effectum, reputatur efficax; quia prudentes existimant, Petrum re vera obligatum manere, & lucrum habere debere ex meis actionibus, sicut ex suis; quæ omnia loco citato latius declarata sunt. Similiter ergo in præsentia materia, me operari nomine Christi, & vt ministerium ipsius, est quod Christus deputauerit me ministerium suum per talem voluntatem, seu velleitatem, qua, quantum est ex se, velleit meam actiones in tali, vel tali genere esse æquivalenter suas in ordine ad tales vel tales effectus: qua Christi voluntate posita, ego habeo aliam velleitatem, qua hæc, & nunc vellem hanc actionem meam reputari ab omnibus, non vt meam, sed vt actionem Christi; & per hanc voluntatem actio mea denominatur formaliter facta à me, non meo nomine, sed nomine Christi, & me operatum esse vt ministerium Christi; quia in iudicio prudentum illa mea velleitas acceptatur pro voluntate efficaci. Itaque ex parte obiecti non solum volo actionem, & verba externa, sed volo velleitate quadam, quod illa mea loquutio, & actio accipiatur, & æstimetur pro loquutione, & actione, non mea, sed Christi. Quomodo autem illa mea intentio, aut voluntas non habeat seipsam pro obiecto, explicuimus etiam loco citato in aliis voluntatibus similibus, & dicemus etiam in tomo sequenti de Pœnitentia agentes de voluntate Diuina condonante extrinsecè peccatorem: eadem enim profus est doctrina vtriusque difficultatis, & ideo non oportebit eam sæpius repetere.*

36. Notandum tamen est, non requiri ad valorem sacramenti, quod minister velit explicite operari nomine Christi, aut vt minister, ipsius; sufficit enim id implicite velle, quod multis modis contingere potest, v.g. si quis velit facere, quod facit Ecclesia, seu vt illius verbis, & rebus eo modo, quo Ecclesia iis vritur, vel etiam, non cogitando de Ecclesia vniuersali, veli facere quod facit talis Ecclesia particularis, vel quod facit talis Parochus, vel quod faciunt aliqui, apud quos auditur illa signa adhiberi, tamquam cæremonia religiofas: his enim omnibus modis apprehendit, aliquid latere sub illis si-

Exemplum applicatur.

Vile som. 1. de Incarnat. disp. 3. sect. 5.

Vile operari nomine Christi implicite facta est.

gnis, quod, quidquid illud sit, in confuso intendit, vt bene explicat Vasquez *vbi supra num. 51. & sequentibus*. Nunc dissoluamus argumenta contraria.

SECTIO III.

Soluuntur argumenta contra doctrinam præcedentem.

PRIMO obiicitur factum Athanasij, qui cum puer esset, alios pueros ludens baptizauit; quem baptismum validum fuisse declarauit Alexander Patriarcha Alexandrinus. Similem aliam historiam refert Nicephorus *lib. 3. bist. cap. ult. de puero ludæo* ab alijs pueris per ludum baptizato; quem etiam Baptismum Ecclesie Constantinopolitana approbavit: non ergo requiritur intentio. Respondeo, aliud esse fictionem, aliud ludum: potest enim cum ludo esse intentio sufficiens ad faciendum actum validum. Sic pueri, quorum ætas æmulatrix est actionum, quas in senioribus vident, solent etiam per ludum Reges creare, quibus alij per diem, vel horam obedire teneantur; & quidem non solum volunt fingere, quasi in scena id, quod adulti serid agunt, sed etiam verè intendunt, quantum possunt, tribuere illi puero auctoritatem imperandi, & se ipsos volunt obligare ad obediendum per totum illum diem. Sic etiam potuerunt pueri illi velle non solum repræsentare, & fingere, quod factum fuerat in Ecclesia à Sacerdote baptizante pueros, sed etiam imitari, & facere, quod illi faciebant. Cum ergo diligenter fuerint interrogati circa intentionem suam, & præuio examine, fuerit declaratus Baptismus validus, credi debet, inuenisse Præsules illos intentionem non solum faciendi actum externum, sed faciendi actum validum, quantum possent, præsertim cum nollent baptizare eos, qui iam baptizati erant, sed solum Catechumenos, vel non baptizatos; quod quidem signum erat voluntatis conferendi verum Baptismum, & non fictum; hunc enim possent etiam circa baptizatos æquè bene fingere. Quod confirmari rursus potest ex historia illa, quæ refertur in Prato Spirituali *cap. 196. de pueris*, qui per ludum voluerunt Missam celebrare, elegeruntque vnum in Presbyterum, & alios duos in ministros; cum verò ad consecrationem ventum esset, & verbis prolatis, communicare vellent, igne de celo misso territi, & semimortui iacuerunt. Nam illi etiam tentasse videntur, non fingere, sed Missam facere, quantum possent. Dixerunt enim: *Celebramus Missam, & offeramus Sacrificium, & communicemus, sicut semper in sancta Ecclesia Presbyter facit*. Sic ergo de Baptismo fieri potuit, vt verum etiam Baptismum conferre voluerint, & quod in Missa defectu potestatis non potuerunt, in Baptismo re ipsa fuerint consequuti.

37. *Obiectio prima.*

Nicephot.

Soluuntur, aliud est fictio, aliud ludus.

38. *Pratum Spirit.*

Secundò obiicitur simile argumentum ex facto S. Genesij Martyris, qui cum nimis esset, & in scena, vt Imperatori placeret, & irrideret sacramenta Christiana, baptizari se faceret, repente mutatus, & ab Angelo monitus de efficacia illius aquæ ad remissionem præteritorum peccatorum, si ex corde vellent ad Christum transire, baptismum illo iustificatus est, & statim fidem publicè professus, pro ipsa constantissimè mortuus, martyrio coronatus est. Aliqui volunt, baptizatum fuisse, non à sodalibus, sed à vero Sacerdote Christiano ad hoc in scenam vocato. Hoc tamen incredibile est; quomodo enim Sacerdos Christianus veniret absque ingenti facti-legio ad cooperandum ludicro spectaculo, quod totum ad irrisionem legis Euangelicæ ordinabatur? Quomodo

39. *Obiectio secunda.*

40. *Paria responsiones reijciuntur.*

41.

Quomodo item auderet in publica luce coram Imperatore Christi persecutore acerrimo sese Sacerdotem Christianum manifestare? Denique, quomodo impunè id fecit, & pacificè, peracto Baptismo, domum redire permittus est? Nec multò credibilis est, quod alij dicunt, mimum illum, qui Sacerdotis personam agebat, licèt irrisionis causa id faceret, habuisse tamen intentionem faciendi, quod faciebant Christiani, & ideo contulisse verum Baptismum. Hoc, inquam, difficile etiam creditum est; nam nec Christiani ipsi, quando in scena agunt personam Sacerdotis baptizantis, habere veram intentionem baptizandi, aut faciendi quod facit Ecclesia, sed solum repræsentandi, & fingendi illud: quantò minus Paganus, qui Ecclesiam irridebat, existimabitur habuisse talem intentionem faciendi verum sacramentum.

42.

Melius respondetur.

Vincent. Beluacens.

Facilius fortasse dicitur, licèt Baptismus ille non habuerit omnia, quæ re vera exiguntur ad valorem nostri Baptismi, Deum tamen prius excitasse Genesium ad veram conuersionem, & amorem sui, & desiderium salutis: quod indicat Vincentius Beluacensis in *speculo Histor. lib. 12. cap. 104.* dum referens hanc Genesij historiam, dicit, quòd Sacerdoti ad se venienti, & interroganti: *Quid ad nos misisti, filiole? Ille non iam simulate, & fite, sed ex puro corde respondit: Quia gratiam Christi consequi cupio, per quam renatus liberer à ruina iniquitatum mearum.* Potuit ergo diuina gratia adiutus ante Baptismum concipere veram contritionem, qua effectus Baptismi conferretur. Solum videtur obtare, quòd Angelus ante ablutionem illi apparetis promiserit, media illa aqua, remissionem omnium suorum delictorum, quæ in libro omnia, & singula scripta legebantur. *Aqua, inquit, hac delet omnia ista, quæ te fecisse cognoscis. Cum autem aqua perfusus esset, simul & liber ille perfusus niue candidior effectus est; ita etiam ut signum Scripturae præterite non demonstraret.* Fatendum ergo est, aquam illam valuisse ad remissionem peccatorum. Responderi tamen potest, potuisse quidem valere ad expiationem reatus pœnæ, qui adhuc supererat, quam pœnæ remissionem potuit Deus per modum Indulgentiæ alligare illi apparenti Baptismo, vt illam imaginem veri Baptismi honoraret. Potro illa remissio reatus pœnæ sufficit, vt diceretur aqua delere peccata. Sic enim *Att. 12.* dictum est ab Anania Paulo, qui iam, per contritionem fuerat iustificatus: *Exsurge, & baptizare, & ablue peccata tua;* quia nimirum adhuc poterat habere reatum pœnæ temporalis, quem Baptismatis aqua deleteret. Nec nouum est, quòd intuitu baptismi inualidi in ratione baptismi, Deus concedat gratiam aliquam propter imaginem veri Baptismi. Sic enim legimus etiam in Prato Spirituali *cap. 176.* Iudæum quemdam moribundum in deserto petiisse enixè ab itineris comitibus baptismum; cumque aqua nulla posset haberi baptizatum ab illis arena loco aquæ, & statim ab omni profluxu ægritudine liberum iter cum eisdem fuisse prosequutum. Potuit ergo similiter Deus honorare illam imaginem veri Baptismi in Genesio propter effectum suscipientis, donando eidem indulgentiam plenam peccatorum etiam quoad pœnam.

43.

A. 12.

Prat. Spirit.

Tertio, obicitur Augustinus *lib. 7. de Baptismo contra Donatistas, cap. 53.* & refertur in cap. solet. de consecratione, *dist. 4.* vbi Augustinus de baptismo etiam absque intentione ministri collato sentire videtur esse validum. *Nequaquam, inquit, dubitarem habere eos baptisma, qui ubicumque, & à quibuscumque illud verbis Evangelicis consecratum sine sua simulatione & cum aliqua fide acceperunt.* Quæ verba, licèt vni-

44.

Augustin. Tertia obiectio ex Augustino.

uersalia sint, possent tamen explicari, vt sermo sit solum, quantum est ex parte suscipientis baptismum, in quo ad eius valorem requiritur sola intentio, semper tamen in conferente supponitur potestas, & voluntas baptizandi, quæ ibi non excluditur. Cæterum P. Valquez *disp. 138. num. 48. & sequentibus* Valquez obseruat, Augustinum eo capite loqui de vtroque, scilicet de recipiente & de ministro, vt ex contextu constat. Vnde concludit, Augustinum ibi dubitasse de baptismo absque intentione ministri collato; & propendisse in eam partem, vt simulatio ministri non noceret, saltem quando ex parte recipientis fides aliqua, & intentio esset: quia nimirum Augustino perspecta non fuerit ea veritas de necessitate intentionis in ministro, quæ nondum fuerat apertè à Concilio definita.

Ego sanè fateor, Augustinum in eo capite de multis dubitasse, de quibus modò propter clariorem Conciliorum lucem nobis exhibitam amplius non dubitamus. Video etiam (id quod in alijs materijs ipsi Augustino, & alijs Patribus accidit) pro zelo in Hæresin, quam impugnabant, in partem aduersam acriter inclinasse: quia nimirum Donatistæ negabant, validum esse baptismum ab hæreticis collatum, Augustinum adeò in baptismi valorem inclinasse, vt de baptismo etiam mimicè & per iocum collato, & suscepto dubitaret, an validus reputandus esset, nec ne: Cæterum, adhuc in iis, quæ ex propria sententia in toto eo capite asseuerat, non video, quid cogat ad fatendum, quòd Augustinus dixerit, validum esse baptismum absque ministri intentione collatum. Nam si totum caput attentè legatur, apparebit, Augustinum nomine, fallaciter dantis, vel suscipientis, non intellexisse dantem, vel suscipientem absque intentione, sed absque fide, aut existimatione requisita de veritate sacramenti, vel cum simulatione, fingendo se aliter sentire, quam reuera sentiat. In primis enim comparat eum, qui in Ecclesia Catholica fallaciter, hoc est, cum simulatione baptizatur, cum eo, qui apud hæreticos absque fallacia, hoc est, absque simulatione: vbi nomine simulationis intelligit fingere se Catholicum apud Catholicos, cum ille alius non se fingat aliud apud hæreticos ab eo, qui exterius apparet. Rursus eodem modo comparat ibi eum, qui in hæresi fallaciter, cum eo qui in mimo cum fide, repentina pietate mutatus suscipit: vbi vides, opponi fallaciam suscipientis in hæresi, fidei suscipientis in mimo: fallacia ergo illa est defectus existimationis debita de illo baptismo, quem exterius suscipit, fingendo se illud magni facere. Quod idem postea explicat comparans iterum eum, qui fallaciter inter Catholicos ministrat, vel suscipit, cum illo, qui in mimo conuersus suscipit, de quibus quærit: *an quantum ad ipsos quidem attinet homines, plurimum distet inter credentem in mimo, & irridentem in Ecclesia, ad ipsum autem sacramenti integritatem nihil interfit.* Vbi etiam opponit fallaciæ illi fidem credentis: nomine ergo fallacia intelligit simulationem, seu alium sensum internum de sacramento, quod suscipit. Vnde paulò post de iis, qui fallaciter suscipiunt, dicit, non solere vnquam, re comperta, baptizari de nouo, sed puniri. *Si postea (inquit) prodatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut penitendo sanatur.* Non est autem credibile, in Ecclesia fuisse vnquam talem usum, vt qui absque sua intentione baptizati essent, non baptizarentur, sed excommunicarentur; non ergo intelligit per eiusmodi fallaces, eos, qui intentionem non haberent suscipiendi baptismi, sed eos qui fallabant fingendo se eiusdem religionis, in qua baptizabantur. Ad eundem

45.

De multis in eo capite dicitur Augustinus.

Responditur obiectio, & explicatur mens Augustini.

dem autem ysum, & praxim Ecclesie alludere videtur paulò inferius in illis verbis; *Sicut iam, prateritis maiorum statuta, non dubito, etiam illos habere Baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiunt, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab iis, in quorum societate id accipiunt.* Erant ergo statuta de non rebaptizandis iis, qui fallaciter in Ecclesia baptizabantur, quæ, ut dixi, credibile non est prohibuisse baptismum eius, qui absque intentione se baptizare permisit, sed eius qui fingens se Catholicum apud Catholicos, vel hæreticum apud hæreticos, baptizatus fuerat; nam licet ipse irridere voluisset, & ad lucrandum, vel aliquem alium finem id fecisset, verè tamen baptizatus erat: sicut Iudæi, qui ob metum sinant se baptizari. Tota autem hæc explicatio, & doctrina videtur optime respondere intentioni Augustini in illo capite, in cuius initio quæstionem proposuit de eo, qui non erat Christianus, sed curiositate didicertum baptismi, an re vera validè baptizaretur: cui quæstioni subnectit alia dubia sub ea contenta de iis, qui simulant fidem, quam non habent, an validè baptizentur, vel baptizentur? Cùm ergo principalis quæstio oriretur ex defectu credulitatis, de hoc eodem defectu, & non de defectu intentionis accipiendus est Augustinus, in reliquo capitis contextu, ne tanto Doctore crassissimam ignorantie labem concedamus. Quod verò idem Augustinus *Tractatu 5. in Ioanem*, dicit, baptismum ab ebrioso collatum, validum esse, hoc, inquam, difficultatem non habet, nam ibi non est sermo de ebrio, in quo non datur sufficiens intentio tempore ebrietatis, sed de ebrioso, id est, qui solet inebriari, quod vitium non tollit valorem, & intentionem debitam, quo tempore sobrius est.

Tota hæc explicatio optime respondet menti Augustini.

Solutur.

46. Quarta obiectio. Nicol. I.

Solutur.

47. Quinta obiectio.

Respondetur.

Quartò, obicitur responsum Nicolai Papæ I. ad consulta Bulgarorum, quod refertur in 3. tom. Concil. & in cap. *A quodam Iudæo*, de Consecrat. dist. 2., ubi Papa interrogatus de iis, qui baptizati fuerant à quodam Iudæo, de quo dubitabatur, an esset Christianus, vel Paganus; respondit Pontifex: si debita forma baptizati erant, non esse rebaptizandos; non ergo curabat de intèntione interna, sed de ritu externo. Respondeo facillè, argumentum esse negatiuum. Pontifex enim nihil dixit de intentione, sed ad dubium propositum, quod solum proveniebat ex eo, quòd minister non erat baptizatus, respondit, id non obstarè, si debitum ritum in sacramento servauit.

Quintò, arguitur ratione; quia in contractibus, & rebus humanis non requiritur talis intentio in nuncio, & ministro, sed exequutio operis sibi à domino iniuncti: ergo cùm in Sacramento Christus sit, qui per ministros operatur, non est requirenda ad valorem intentio ministri, sed Christi, dum minister rem sibi iniunctam ritè exsequatur. Respondeo imprimis, in ipso nuncio & ministro requiri intentionem aliquam internam præter exequutionem externam. Nam si verba, exempli gratia, sint ex se indifferentia, vt dicantur vel suo ipsius nomine, vel Domini, procul dubio non erunt prolata nomine Domini, nisi minister, vel nuncius habeat interius intentionem loquendi, non suo, sed Domini nomine. Talia autem sunt verba sacramentalia; nam voces illæ: *Hoc est Corpus meum*, &c. indifferentes sunt ex se ad hoc, vt significant Sacerdotem de se solo loquentem, vel etiam loquentem nomine alterius, nempe Christi: ergo sicut qualibet aliæ voces æquiuocæ, sic etiam hæc, necesse est, quòd determinentur per intentionem loquentis ad talem significationem potius, quam ad aliam. Non ergo sufficit, quòd nuncius vel minister proferat exteriùs tales voces à Domino impositas

ad valorem actus, nisi velit loqui, vt nuncius & minister; alioquin voces non significabunt, vt constat. Adde, in Sacramento ministrum non esse merum nuncium, sed quasi æconomum, qui ex præscripto Domini emit aut vendit triticum, vel vinum: ad quod non sufficit externa actio, nisi habeat intentionem emendi aut vendendi, hoc est, transferendi reuera dominium pecuniæ, vel tritici; & hoc non sibi, sed Domino; sine qua intentione actus non est validus, sed apparens. Porrò ministros Sacramentorum hoc pacto esse deputatos, probatum est supra ex singulorum formis, & essentiis.

Sextò obicitur, quia sacramenta sunt signa à Christo instituta: signum autem non habet suam significationem dependenter ab eo, qui signo utitur, sed ab eo, qui imposuit: quantumcumque enim ego nolim, hanc vocem *homo* significare hominem, nihil aliud significabit nisi hominem: ergo nec minister adhibens actionem sacramentalem, potest impedire, quòd significet id, ad quod significandum à Christo est instituta. Respondeo, quando ponitur actio externa sola, non poni totum, quod Christus instituit ad significandam gratiam: Christus enim non instituit in signo solum actionem externam secundum se, sed vt factam ex intentione ministri, vt supra probatum est.

Septimò obicitur, licet minister nolit causare effectum sacramenti, non potest sacramenti efficaciam impedire; ergo nec poterit impedire significationem, licet non habeat intentionem significandi. Respondeo eodem modo: sicut posito sacramento, non potest minister impedire eius effectum, sic nec potest impedire eius significationem, si ponatur sacramentum; cæterum sicut potest impedire effectum nolendo ponere sacramentum, sic potest impedire significationem. Discrimen tamen est, quòd significatio est ipsa essentia sacramenti, atque adeò non potest velle sacramentum, quin velit significationem: effectus verò, seu res significata non est essentia sacramenti, & ideo posset minister aliquo modo velle sacramentum, quin velit effectum; licet reuera volendo sacramentum, implicite, & in causa, velit aliquo modo eius effectum.

Petes, quid si explicitè nolit effectum sacramenti? Tunc enim non videtur posse velle sacramentum, cùm hoc non possit poni sine suo effectu, si non detur obex. De hoc dicemus seorsim sect. sexta, ubi etiam de intendente facere contractum matrimonij, non verò sacramentum.

Octauò obicitur: quia Christus potuit instituire sacramenta absque necessitate talis intentionis ad eorum valorem; & hic modus vtilior esset ad tollenda dubia, & pacandos animos fidelium: ergo ita credendum est instituisse, præsertim cùm non deceat, alienam culpam nolentis facere sacramentum validum nocere suscipienti, qui bona fide accedit, & accipit, nec amplius de repetendo illo sacramento sollicitus est. Respondeo, pericula ex malitia ministri eadem ferè esse præscindendo ab intentione: potest enim subtrahere aliquod verbum formæ, mutare, adiungere, præsertim apud imperitos, & indoctos. Aliunde verò congruum erat, sacramentales actiones esse actiones religiosas, & cæremonias sacras, quibus Deus ab hominibus coleretur; atque adeò oportebat fieri ex intentione exercendi cultum illum, cultus enim non est sola actio externa, nisi oriatur ex intentione interna colendi, & significandi. Nec ex hoc nascitur maius fundamentum dubitandi de valore sacramenti; qui enim dubitat de ministro, an habuerit intentionem, pariter poterit dubitare, an protulerit omnia verba,

In Sacramento est minister non est merus nuncius, sed quasi æconomus.

48. Sexta obiectio.

Responsio.

49. Septima obiectio.

Solutur.

Significatio est de essentia Sacramenti, non verò effectus.

50. Octava obiectio quia Christus poterat instituire sacramenta absque intentione ministri.

Respondetur.



vel adhibuerit materiam necessariam: quare sicut de his non dubitamus moraliter, sic nec de intentione habemus tale dubium morale.

§ 1. Obiectio nona.

Responsio.

Nonò obiciunt; quia sacramentum est signum sensibile; illa autem intentio interna est insensibilis, & in hominis mente delitescit; ergo non potest esse pars sacramenti. Hoc argumentum nihil probat: cum constet, contritionem internam, quæ etiam in homine delitescit, esse partem intrinsecam sacramenti Pœnitentiæ. Sufficit enim, si sensibilis fiat per aliud exterius signum, prout contritio manifestatur per externos actus pœnitentis: & hoc etiam modo intentio ministri manifestatur per actiones externas, & fit sensibilis per illas. Non est autem pars sacramenti sola manifestatio ipsa externa, sed etiam res interna manifestata, prout constat in contritione.

§ 2. Decima obiectio.

Responsio. Error priuatus non nocet sacramento.

Decimò obiciunt; si necessaria est intentio in ministro, quomodo potest hæc esse in Hæreticis, qui vel sacramenta, vel eorum effectum negant, & detestantur; & tamen Ecclesia ratum semper habet baptismum ab heretico collatum. Respondeo, errorem priuatum non nocere sacramento, si minister velit facere quod Christus instituit, quod de omnibus Hæreticis præsumitur: nemo enim est tam insanus, vt nolit facere validum actum, quem reuera vult facere. Omitto alia leuiora argumenta, quæ afferunt, quia nullius sunt ponderis: nunc videamus potissima ex iis, quæ affert Scribonius, vbi supra pro sua sententia.

§ 3. Undecima obiectio.

Responsio. Minister potius est Corruptus quam Ecclesia.

Obicit ergo vndecimò, quia minister personam, & vices gerit Ecclesiæ; sed Ecclesia verè iudicat esse baptizatum, quem exterius vidit ritè baptizari; ergo minister per intentionem internam Ecclesiæ non conformem, si habeat externam illi conformem & faciat, quod ipsa facit, sacramentum irritare non potest. Respondeo, minister proprie loquendo, in sacramentis conficiendis magis esse ministrum Christi, quam Ecclesiæ: ipsùmque Christum agnoscere optimè defectum intentionis, & quod homo tunc non vult agere nomine Christi; atque adeò Christus non habet ratum baptismum, v. g. tamquam suo nomine collatum. Adde, licet operaretur nomine solius Ecclesiæ, adhuc actum fore inualidum ex defectu intentionis, prout accedere potest in absolutione ab excommunicatione, quæ datur à Sacerdote nomine Ecclesiæ; & tamen si non habeat verè intentionem absoluendi, absolutio erit inualida, licet exterius ob errorem existimetur valida. Sicut si œconomus habens à domino facultatem condonandi debita, fingeret se alicui condonare absque intentione condonandi, condonatio reuera esset inualida ex defectu consensus, licet exterius præsumeretur valida, quamdiu non constaret de defectu intentionis: idem ergo est de absolutione à censura, cum sequatur conditiones condonationum, & contractuum humanorum.

§ 4. Duodecima obiectio.

Respondetur retorquendo argumentum.

Obicit 12. Actio semper se tenet ex parte potioris agentis; & quoties agens debite applicatum est passo ad suscipiendam actionem disposito, sequitur effectus. Sed Deus est præcipuum agens in sacramento, minister verò est instrumentum; ergo si passum, nempe suscipiens, est debite applicatum agenti Deo, scilicet per ministrum operantem exterius in persona Ecclesiæ, & facientem quod ipsa facit, subsequetur verè effectus, licet delit intentio interna. Respondeo retorquendo argumentum; nam agens, quod non agit se solo, sed medio instrumento, licet agens sit applicatum passo, si tamen instrumentum non sit debite applicatum, non producit effectus. Sic enim Faber applicatus ligno, vel ferro, nihil

operatur, si instrumentum eius artis, scilicet ferra, vel malleus, non sint etiam applicata. Quamuis ergo Deus, qui est principale agens, sit passo applicatus, non operabitur effectum sacramentalem, quamdiu instrumentum, qui est minister, non fuerit debite applicatum; quæ applicatio potissimè fit per intentionem, cum sit instrumentum morale, & actiuum, sicut etiam Deus per intentionem applicatur.

§ 5. Decimater-tia obiectio.

Obicit 13. inter duo pugnantia, agens cum prædominio, licet illud aliud repugnet, suum sortitur effectum: ergo licet intentio interior, & exterior pugnent, exterior obtinebit effectum, quæ fortior est, quia Deus cum ipsa concurrat; & si deficeret, defectum suppleret; & præterea procedit ad opus, quod non facit interior; & in persona Ecclesiæ videtur sacramentum administrare.

Responsio. Intentio interna comparatur cum externa tanquam principium.

Respondeo, intentionem internam contrariam non solum comparari cum externa, tamquam agens contrarium, sed etiam tamquam principium requisitum, sine quo intentio externa nihil potest facere. Nam sicut ad videndum requiritur oculus, & species obiecti, ex quibus si desit species, quæ ignobilior est, non sequetur effectus: sic ad actus humanos requiritur actio externa, & intentio interna; quarum si desit interna, nihil fit; vt contingit in contrahente matrimonium fictè absque consensu interno; & eodem modo ad sacramentum validum requiruntur illa duo principia, quorum si vnum desit, nihil fit. Quod autem addit ille Auctor, ex nam intentionem talem esse, vt si deficeret, Deus suppleret defectum; si, vt sonat, accipiatur, non potest vilo modo admitti; certum quippe iam est inter Theologos, quod intentio sola baptizandi absque actione externa non sufficit, vt de factò paruulus non baptizatus saluetur.

§ 6. Decimater-tia obiectio.

Obicit 14. opus potius sequitur praxim, quam speculationem; quia illa, & non hæc, tendit ad opus; sed intentio ministri, quæ procedit ad opus, est practica, interna verò contraria est speculatiua; ergo opus quod sequitur, quoad actum externum, debet potius pendere ab intentione practica quam à speculatiua. Respondeo, in opere sacramentali posse considerari, & actionem meram externam, & valorem ipsius; & quidem in ordine ad solam actionem externam intentio proferendi verba, & lauandi puerum est practica, & ponit suum effectum: verè enim proferuntur verba, & infans abluitur. At verò in ordine ad valorem actus, illa alia interior intentio est etiam practica; vult enim, vel non vult valorem, & ponit, vel tollit illum; quia cum valor sit effectus moralis, potest illa intentio esse operatiua, vel destructiua illius; vt constat ex omnibus humanis contractibus, quorum valor dependet ab illa intentione; & illà ablata, contractus non est validus, sed fictus.

§ 7. Decimater-tia obiectio.

Obicit 15. Si quis interius adorationem idolorum detestaretur, & tamen exterius sponte procederet ad illa colenda, verus esset idololatra; ergo si sponte accedat ad sacramenta conferenda, & per signa, ac verba exteriora, actumque ritè exactum ostendat, se velle conferre sacramentum, verè, & validè conferet, licet interior intentio praua sit. Respondeo retorquendo argumentum; nam licet aliquis exterius offerat thus idolis; si tamen interius non habet animum colendi, non erit verus idololatra, aut cultor Deorum, sed fictus, & apparens; vt cum communi docet Thomas Sanchez lib. 2. de præceptis Decalogi, cap. 37. n. 23. sicut è contra non esset vera adoratio Dei; sed ficta, quando, ne agnoscat, aliquis genuflectit coram Eucharistia, sine animo tamen eam adorandi; de quo diximus latè tom. 1. agentes

Retorquendum argumentum.

Th. Sanchez.

agentes de essentia Adorationis: ergo similiter non ministrat verum sacramentum, qui fictè ponit actum externum sine vilo animo colendi Deum per talem actionem. Fatetur ergo paritatem; nam sicut ille, qui metu adorat idola, potest habere verum animum adorandi, licet idola ei displiceant, & interius detestetur eorum cultum, & tunc erit verus cultus: sic qui detestatur sacramenta, potest metu coactus habere animum illa conferendi; & erit sacramentum validum. Caterùm, sicut in primo casu potest ille fictè ponere actionem externam absque vilo animo colendi, & tunc non est verus cultus, sed fictus; sic potest minister non habere animum conficiendi sacramentum, & tunc licet ponat totam actionem externam, non erit verum sacramentum, sed fictum.

quod facit Ecclesia: ergo absque fundamento à Conciliis exigitur hæc intentio ultra id, quod Christus exigit. Omnes ergo debemus fateri, Christum non solum exigere nudam intentionem externam, sed eo ipso quod misit discipulos tamquam ministros ad baptizandum, voluisse, quod operarentur vt ministri, scilicet ex intentione faciendi id, quod faciunt, non suo nomine, sed eius qui eos mittit; quæ est intentio sufficiens ad valorem sacramenti, vt supra explicuimus. Hæc argumenta illius Auctoris referre volui, non quia apud doctos indigerent solutione, sed ne aliquis multitudinem argumentorum obrutus existimaret non induci iterum in scholam absque magno fundamento doctrinam illam iam ab omnibus Theologis omnino exclusam, & derelictam.

Hæc omnia argumenta non habent magnam vim ad inducendam in scholam illam doctrinam ab omnibus Theologis derelictam.

SECTIO IV.

De mente sancti Thomæ circa necessitatem intentionis.

Restat, vt aliquid dicamus de mente S. Thomæ, quem multi volunt, hac in parte in contrariam sententiam propendisse, quia in 4. dist. 6. quest. 1. art. 2. quaestio in cula 1. ad 2. & in præsentis art. 8. ad 2. cum contra necessitatem intentionis obiecit sibi, eo pacto reddi nobis incerta sacramenta, quia intentio interna est nobis occulta; atque adeo qui recipit sacramentum, semper manet dubius: huic argumento affert duas solutiones, primam eorum, qui dicebant, deficiente intentione, supplere eius defectum deuotionem, & fidem in adulto, in pueris verò posse pie credi, quod Deus sua clementia suppleat, vt detur effectus iustificationis; secundam verò, quam ipse sanctus Doctor videtur approbare, quod in sacramentis iis, quæ habent in forma actum exercitum, qualia sunt Baptismus, & alia quædam, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta: & ideo si forma seruetur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est. Non enim sine causa in sacramentis necessitas, scilicet Baptismo & quibusdam aliis actus baptizantis tam sollicitè expressus est ad intentionis expressionem. Hæc sunt verba S. Thomæ in 4. sent. quam doctrinam, paucis mutatis, videtur repetere in præsentis dicto art. 8. his verbis: Alij melius dicunt, quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cuius est minister. In verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimat ex parte ministri, vel recipientis sacramentum. Propter hæc verba non pauci censent, S. Thomam in vtroque loco in illam sententiam inclinasse, quod sufficeret intentio faciendi exterius quod facit Ecclesia; quod mirum non est ante definitionem Concilij Florentini & Tridentini. Alij fatentur, in primo loco ita sensisse, sed in præsentis mutasse sententiam. Caterùm P. Valquez putat eandem doctrinam in vtroque loco traditam esse, & difficile posse in bonum sensum deduci. Caietanus tamen cum Thomistis alijs, quos sequitur Suarez in commentario illius artic. 8. & recentiores communiter, non possunt sibi persuadere, S. Thomam in illa fuisse sententia, atque ideo ita explicant, vt solum voluerit, suscipientem sacramenta non debere esse anxium de eius valore; nisi enim contrarium minister exterius expresserit, semper censetur habere intentionem Ecclesiæ, quam verba significat, & hoc sufficere ad pacem, & securitatem suscipientis, de qua solum procedebat argumentum

62. S. Thom.

63. Quidam censent S. Thomam in illam sententiam inclinasse. Alij dicunt mutasse. Valquez. Caietanus. Suarez.

58. Decima sexta obiectio. Simile est aliud argumentum eiusdem: sicut se habet bona intentio ad constituendum sacramentum, sic mala ad destruendum; sed bona intentio in intimis reclusa præcordiis, non constituit sacramentum, si contrarium exerceatur exterius; ergo mala intentio in intimis latebris conclusa irritare non debet sacramentum, si exterius omnia debite fiant. Argumenta sanè Theologo non digna ad persuadendam doctrinam adeo singularem. Sicut si argueres: minister non potest per sola verba absque ablutione conferre baptismum; ergo nec per solum silentium potest illud auferre, si cætera adsint.

59. Decima septima obiectio. Obiicit 17. vnaquæque res, sicut habet determinatum modum essendi, sic & operandi, ultra quem progredi non potest: sed minister sacramenti suam virtutem exerece non potest ultra actum exteriorum, quia characterem, & gratiam internam dat solus Deus; ergo non potest quidquam ultra actum exteriorum. Sed actu externo ostendit, se velle verum sacramentum conficere; ergo per intentionem internam actum internum Dei impedire non potest. Respondeo in primis, falsum esse, quod minister solum influat in actum externum: influat enim vltimè tum in valorem eiusdem actus, qui est effectus moralis, vt diximus; tum etiam in characterem, & gratiam, quos effectus causat simul cum Deo, vel physice, vel saltem moraliter. Sed licet minister non esset causa eorum effectuum interiorum, quia tamen Deus non causat illos, nisi positus talibus signis ex tali intentione, consequens est, vt ea intentione deficiente, non causarentur à Deo.

60. Decima octava obiectio. Obiicit 18. intentio causæ secundæ non potest impedire actionem causæ primæ, quando materia, & forma, & actus est legitime exercitus: sed minister se habet vt causa secunda in sacramentis conferendis, & Deus vt causa prima: ergo si materia fuerit debite formæ applicata, & actus secundum ritum Ecclesiæ legitime exercitus, non poterit minister effectum primæ causæ impedire. Respondeo concedendo totum; in nostro autem casu, materia non est applicata debite formæ, scilicet ablutio, v. g. cum intentione posita, & verba cum debita intentione prolata.

61. Decima nona obiectio. Obiicit 19. Christus mittens suos ad baptizandum, & promittens salutem baptizatis, nullam mentionem fecit de intentione: & Concilia solum exigunt intentionem faciendi quod facit Ecclesia; quæ etiam reperitur, quoties minister vult ponere totum actum externum legitimum, quem ponit Ecclesia. Respondeo retorquendo argumentum. Nam Christus nec fecit mentionem de intentione faciendi

P. Ioan. de Lugo de Sacramentis.

